



1664

1. Bechmann, Joh. Volk. : De jurisdictione, eius
habitatione et foro.
2. Bechman, Johann Volk. : De foro competente
Imperatoris, regisque Romanorum. itaque statuum,
ac membrorum imperii nostri Romanorum - Germanicorum.
3. Bechmann, Joh. Volk. : De plurali sede et poss.
sede voborum.
4. Bechmann, Joh. Volk. : De jure asylosum.
5. Bechmann, Joh. Volk. : De successione et electione
in imperio Romano-Germanico.
6. Bechmann, Joh. Volk. : De obligationum confusione
et resuscitatione.
7. Bechmann, Joh. Volk. : De postis.
8. Bechmann, Joh. Volk. : De taxatione.
9. Bechmann, Joh. Volk. : De jure venationis.

1664.

10. Beierus, Adrianus: De paupertate.
11. Beierus, Adrianus: De reverentia ratione societatum simplicium spectata.
12. Beierus, Adrianus: Itz jus naturae et qua-
tenus cadat in bruta.?
- 13^o Beierus, Adrianus: De expensis executionum
criminalium. 2 Bänd. 1664 u. 1748.
14. Chemnitzus, Christianus: De sponsalibus.
15. Falckner, Joh. Christophorus: De furto in genere.
16. Falckner, Joh. Christophorus: De cautione
Aucii Saevulae vulgo Muciana.
17. Falckner, Joh. Christophorus: De locatione con-
suetudine.
18. Fidorici, Johann Arnoldus: De sterilitate mulieris.
19. Geyss, Joh. Fried.: De principibus redituum
jura.

1664

20. Gerhardt, Johannes Andreas: De Supremis in
Imperio Rom. judiciis, Tutelis et Camerali...

21. Hundeshagen, Johannes Christophorus: De jure
naturali.

22. Hundeshagen: De majestate.

203

I
J



IN NOMINE SS. TRINITATIS! 1664; 14
DISPUTATIO THEOLOGICA 26.

De
SPONSALI.
BUS. 15

Quam
PRÆSIDE
VIRO

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO

CHRISTIANO CHEMNITIO,
SS. THEOL. D. ET PROFESSORE
PUBLICO PASTORE ECCLESIAE
HUIUS, ET VICINARUM SUPERINTEN-
DENTE MERITISSIMO

Patrono, Praeceptore, ac Promotore suo aeternum suspiciendo.
publicae placidaeq; eruditorum disquisitioni
exhibet.

JOHANNES MARTINUS

de WETTE, Mauâ Thuringus,
AUTOR & RESPONDENS.

IN AUDITORIO THEOLOGICO,

Ad diem Decembris
ANNO CHR. clō lōc LXIV.

GENÆ,
Literis JOHANNIS WERTHERI.

DISPUTATIO THEOLOGICA
IN NOMINE SS. TRINITATIS

SPONSORIALI

BUS

CHRISTIANO CHEMISTIO

SS. THEOD. D. ET PROFESSORIS

PUBLICO PASTORE ECCLESIAE

REGIAE ET VNICERSITATIS

ALMA MATERIS S. MARTINI

IN HANNOVERA

JOHANNES MARTINIUS

IN ANTONIO THEOLOGICO

DE

IN NOMINE SS. TRINITATIS

DISPUTATIO THEOLOGICA

SPONSORIALI

BUS

CHRISTIANO CHEMISTIO

SS. THEOD. D. ET PROFESSORIS

PUBLICO PASTORE ECCLESIAE

REGIAE ET VNICERSITATIS

ALMA MATERIS S. MARTINI



verò à spontè venit, quasi facta sit spontanea promissio, ut mo-
net Varro lib. 4. de ling. latin. Hinc omnis stipulatio atque
promissio, sponsio appellatur. Sunt etiam nonnulli, qui Spon-
salia à græco derivant, quod sponsi *σπονδαί* i. e. foedera, inter-
positis rebus divinis, facerent. Omnes tres sententiæ non sunt
rejiciendæ, quamvis media sit optima & receptissima.

III. Secundò: *Vocis significatio*. Non autem in unâ ea-
demque, vox *Sponsaliorum*, sumitur significatione. Primùm e-
nim notat *sponsale convivium*. In hac significatione usurpatur
apud Cic. lib. 2. Epist. ad Quintum fratrem: *Crassipedi dedi spon-
salia, cui convivio Quintus tuus defuit.* (2) *Arrham sponsalitiã*,
ut notat Beust. in tract. de spons. part. 1. pag. m. 2. ubi dicit:
*Olim etiam sponsalia munera dicebantur, quæ à sponso sponsæ daban-
tur, quæ munera nostri vocant arrhas sponsalitiã.* (3) Denique
mentionem seu promissionem de futuris nuptiis, vel de conju-
gio in futurum contrahendo. Menz. in tract. propositionum
de præcipuis religionis Christianæ capitibus, pag. m. 125. In hac
significatione legitur apud Plautum, Trin. dicentem: *Filiam tu-
am spondes mihi uxorem dari?* CH. *spondeo.* CH. *& ego spondeo
idem hoc.* In hac significatione etiam hæc vox usurpata legitur
Gen. 19. v. 14. Gen. 29. v. 20. Luc. 1. v. 27. Matth. 1. v. 18. Deut. 20.
v. 7. & seqq. Duas priores acceptiones tanquam ad propositum
nostrum parùm facientes in aliud tempus volumus rejectas. Ul-
tima tantùm præsentis est loci & instituti.

IV. Tertio: *Synonymia*. Græci *Sponsalia* *μνηστῆρας* vocant,
quod vocabulum, ut docet Harmenopolus lib. 4. Epitom. tit. 1.
promissionis mentionem significat. Panormitanus *Sponsalia*
vocat *Primordia tædæ*: Valerius Flaccus, *Praambula matrimo-
nii*: B. Gerb. *spem nuptiarum*. Porro vocantur: *Nuptiarum pro-
missiones*, seu *Repromissiones*, & quæ sunt alia ejusdem generis
nomina.

V. Quarto: *Definitio*. Florentinus in vulgari exempla-
ri, lib. 1. de spons. definit *sponsalia*; quod sint *mentio & repromis-
sio futurarum nuptiarum*; Quoniam autem hæc definitio non
videtur esse integra, cum nulla mentio ordinis observandi, ut &
personarum, quibus jure divino contrahere matrimonium est
licet.

licitum, fiat, substituenda est alia, Integra verò definitio legitur apud D. Brochmandum, qui *Sponsalia* tom. 2. lyst. universæ Theologiæ artic. de sponsalibus sect. 2. pag. m. 5063. hunc in modum definit: *Sponsalia sunt stipulatio & promissio futurarum nuptiarum rectè atq; ordine inter eos, quibus jure divino licet, & suo tempore necessariò implenda.*

VI. Quintò: *Definitionis explicatio.* Dicitur (1.) in Definitione, quòd sponsalia sint *stipulatio & promissio.* Ubi notandum, hanc promissionem fieri posse etiam inter absentes, fortè per nuncium vel etiam Epistolam, ut patet ex historiâ Isaaci, cui hoc modo Rebecca desponsatur. Hinc dicit Schneidew. *In sponsalibus constituendis parvi refert, an per se & coràm, an per internuncium vel Epistolam, an per aliud hoc factum sit, ac nihil interest, sive in scriptis, sive sine scriptis quis despondeat sibi uxorem, dummodo de consensu constet, de nupt. p. m. 426.* Eandem sententiam amplectitur Beust. de sponsalib. p. m. 7. B. Gerhardus de Conjug. p. m. 211. Brochmandus loco de conjugio, p. 5069. (2) Nuptiarum futurarum. Quibus verbis rejiciuntur sponsalia de præsentì (ut vocant) de quibus infra aliquid dicitur: Nam inter sponsalia & matrimonium seu conjugium ipsum usitatè aliquid temporis intercedit, quod exempla Sacræ scripturæ luculenter testantur. (3.) dicitur: *Rectè atque ordine inter eos, quibus jure divino licet.* Quibus verbis partim sponsalia clandestina, quæ non rectè atque ordine, sed potiùs contra ordinem, insciis videlicet parentibus vel tutoribus contrahuntur, tanquam subdolè inchoata, & quasi in tenebris tractata condemnantur; Partim verò regula illa de prohibitis gradibus approbatur & confirmatur. (4) Denique dicitur: *Suo tempore necessariò implenda.* Quibus verbis innuitur, sponsalia legitimo modo contracta esse implenda, non dissolvenda. Implenda autem sunt propter passionem divinam, quæ ab hominibus solvi nec potest nec debet. *Matth. 19. v. 6.*

VII. Sextò: *Divisio.* Dividuntur sponsalia (1) in sponsalia de præsentì & futuro.

VIII. Sponsalia de præsentì sunt, quæ per verba præsentis temporis concipiuntur & efferuntur. E. gr. *Ego te accipio in*

A 3

maris

maritum, accipio te in uxorem. Hujusmodi sponsalia proprie loquendo non sunt sponsalia, sed verum matrimonium coram Deo & hominibus, licet copula carnis nondum intervenerit: Non enim concubitus, sed consensus facit nuptias, quod etiam ex ipsa sponsaliorum definitione probatur: Nam Sponsalia si sunt stipulatio & promissio futurarum nuptiarum: male per verba presentis temporis efferuntur & definiuntur.

IX. Sponsalia *de futuro* non ea vocamus, quae in se non continent absolutum consensum, prout à quibusdam accipiuntur. Haec enim vocamus conditionalia, de quibus inferius ageatur; sed ea, quae continent quidem purum & absolutum consensum, sed tamen per verba futuri temporis contrahuntur & concipiuntur, ut: *Ducam te in uxorem: Accipiam te in maritum, &c.*

X. Porro dividuntur sponsalia in *pura* & *conditionalia*.

XI. Sponsalia *pura* dicuntur, quae fiunt sine ulla conditione. Ideo qui hoc modo conjugium promittit, nullo modo nuptias postea recusare potest: Nam sicut in caeteris contractibus; ita etiam in matrimonio pure contracto, statim est nata obligatio & actio efficax. Unde in matrimonio pure contracto, ut docet *Maus. de nupt. p. m. 320.* potest alter conjugum ad petitionem alterius compelli ad consummandum illud, quod promissit.

XII. Sponsalia conditionalia sunt, quae interjecta quadam conditione contrahuntur, veluti, si dico: *Ducam te in uxorem, si patri meo placuerit*, vel si quam aliam conditionem sponsalibus adjicio. Sic Michol filia Israelitici Regis Saulis Davidi promittitur; at non absolute, sed hac conditione, ut centum Philistaeorum praepudia dotis loco afferat.

XIII. Conditio autem est duplex: *Potestiva* & *causalis*. *Potestiva*, quae in latiori significatione etiam *causalis* vocari potest, est, quae dependet à voluntate tertii & non contrahentium. E. gr. *Ducam te in uxorem, si patri meo placuerit.* *Causalis* dicitur, quae pendet ex futuro eventu & voluntate contrahentium. Ut, *Ducam te in uxorem si biennium expectaveris.*

XIV. Haec iterum est triplex. Est enim vel *Honesta*, vel

In-

Turpis, vel impossibilis. *Conditio honesta est v. gr. : Ducam te in uxorem, si centum imperiales attuleris.* *Conditiones turpes variae sunt: Aut enim ejusmodi conditiones adjectae sunt contra matrimonii substantiam, veluti; Ducam te in uxorem, si questus causa voles esse adultera: vel, si sterilitatis medicamenta sumpseris &c.* *Aut ejusmodi conditiones inhonestae non respiciunt substantiam matrimonii, sed sunt peregrinae, v. g. Ducam te in uxorem; si Deo maledixeris, si funari voles.* *Conditio impossibilis est e. g. si stellam de caelo traxeris, si caelum digito attigeris &c.*

XV. De conditionibus honestis notandum, quod conditione nondum eveniente Sponsalia non sint rata, nec super his oriatur efficax obligatio aut actio, sed suspendantur, quousque conditiones adjectae impleantur, nisi copula carnis intervenit juxta hanc regulam: Si conditio extat, rata sunt Sponsalia; si deficiat, nihil actum intelligitur.

XVI. De Conditionibus in honestis seu turpibus statuimus, quod ea, quae matrimonii substantiae repugnant, Sponsalia annihilent, impediunt & irrita faciant. De conditionibus inhonestis matrimonii substantiam non impugnantibus, non una est Autorum sententia. *Henricus Boik* & cum illo alii Nominales eas matrimonium irritum facere, defendere conantur; Sed rectius cum *B. Gerbardo, Philippo Melanchthone, Beustio, Mansero* & aliis dicitur, eas matrimonium non vitare, sed, pro non adjectis habendas, atque propterea rejiciendas, ut petulantiae & malitiae eorum, ut loquitur *Philippus Melanchthon loc. de conj.* qui pudicitiae imbecillis sexus insidiantur, frenum injiciatur.

XVII. De Conditionibus impossibilibus Autores rursus inter se discrepant; *Beust.* part. 1. de Sponsalibus p. m. 26. de his conditionibus ait, quod in honorem & favorem matrimonii pro non adjectis sint habendae, ac si pure matrimonium esset contractum. *Alii* in contrariam eunt sententiam propter sequentes rationes (1) quia tales conditiones qui addit, videtur potius ludere ac jocari, quam de perpetua vitae consuetudine obligandi animum habere. (2) Quia ejusmodi joci inter juvenes & virgines non sunt rari, ex quibus, si oriri statueretur statim efficax obligatio, multa infelicia conjugia fierent. Nos hac

hac in questione solidam B. Gerbardi amplectimur responsio-
nem. Existimaverim, dicentis, circumstantias hic respiciendas
esse, an qui sub conditione impossibili contraxerit, animum
contrahendi habuerit? an sit persona honesta? an destituatur
causis gravibus & sufficientibus, propter quas a promissione
velit resilire? & in hoc casu impossibilem conditionem pro non
adjecta censendam, ac promissorem ad matrimonii consumma-
tionem compellendum; Sin aliter se res habeat, ob levitatem
tamen coercendus erit, si vel maximè sponsalia censeantur irri-
ta. Tom. 7. de conj. p. m. 217.

XVIII. Hic questio agitatur; Si matrimonium primùm
contrahatur sub conditione honesta, & pendente conditione,
contrahatur secundum purè, quod matrimonium sit præferen-
dum. Johannes Schneidew. de Nupt. p. m. 40. posterius priori
esse præferendum firmiter statuit dicendo: *In hac questione bre-
viter ita concluditur, quòd secundum matrimonium purè contra-
ctum valeat, & præferatur priori conditionali matrimonio, & per
conditionem postea non dissolvatur.* Ejus ratio, quâ hanc suam
opinionem defendit, est, quòd tale matrimonium conditio-
nale, habeat vim sponsaliorum de futuro, quæ per sequentia
sponsalia de præsentì tolluntur. Sed contrarium est præferen-
dum ac dicendum, quòd sponsalia conditionalia conditione
eveniente, puris sint anteponenda. Ad allatam Schneidew.
rationem B. (1) rejiciendo hanc distinctionem, quâ sponsalia
in sponsalia de præsentì & futuro dividuntur. Vide Ø. VIII. (2)
Si sponsalia de præsentì cum puris & conditionalia cum futuris
eadem sunt: Negatur ea futuris seu conditionalibus honestam
conditionem videlicet habentibus esse præferenda: Ut enim
in aliis contractibus pendente conditione non licet resilire; sed
eventus conditionis expectandus, ita etiam in sponsalibus, ante
conditionis eventum nihil novi incipiendum, sed conditionis
exitus semper est expectandus, præsertim, cum matrimonium
non sit contractus tantùm civilis, sed res conscientia, ac divinâ
gaudeat institutio. Si enim cuivis liceret proprio assu à
conditionatis sponsalibus recedere, occasio daretur pro deridi-
culo ac deliramento habendi matrimonium, quod non conce-
dendum, cum sit contra matrimonii dignitatem. XIX.

XIX. Tertiò etiam sponsalia dividuntur in *privata* seu *clandestina*, & *publica* seu *manifesta*.

XX. *Publica* dicuntur, quæ præsentibus testibus & consentientibus parentibus aut eorum vices obtinentibus contrahuntur. Alii Sponsalia *publica* definiunt, quòd sint ejusmodi contractus, qui præsentibus pluribus, & consensu parentum aut tutorum, accedente etiam benedictione sacerdotali (quod tamen necessariò non requiritur) contrahantur. Et hic contractus est firmissimus.

XXI. Sponsalia clandestina sunt, quæ clàm, id est remotis arbitris testibusque nullis præsentibus contrahuntur. Notandum tamen est, quòd dupliciter sic dici possint (1) propriè & strictè, quando proriùs clàm & nemine præsentibus contrahuntur (2) latè, quando quidem præsentibus testibus contrahuntur, sed invitis ac insciis parentibus aut tutoribus: Sponsalia enim sunt futurarum nuptiarum stipulatio & promissio non ABSOLUTE, sed hæc promissio rectè atque ordine fieri debet, quod tùm demùm fit, si non tantùm sponsi & sponsæ, sed etiam parentum aut tutorum consensus ac voluntas adest, & licèt sponsalibus contractis vel centum testes præsentibus fuerint, insciis & invitis tamen parentibus vel tutoribus clandestina & privata merito vocantur, cùm sint sine ordinaria, publica & licitâ potestate contracta. Ex quibus patet, ad sponsalia legitimum parentum consensum requiri, quod tamen Pontificii non concedunt.

XXII. Non autem quæstio est, an parentum consensus requiratur DE HONESTATE, ut pontificii loquuntur, h. e. an liberis matrimonium contracturis honestum sit, prius voluntatem & consensum parentum explorare? Hoc enim Pontificii ambabus, ut ajunt, manibus largiuntur. Hinc Bellarm. de matr. c. 19. prop. 3. inquit: *Peccant filii, quando sine justâ & rationabili causâ parentibus insciis vel invitis matrimonia contrahunt; sed quæstio est, an parentum* (excluduntur autem parentes furiosi, dementes, mortui, longo intervallo absentes, aut qui ex avaritia concedere nolunt, &c.) *consensus ita sit necessarius, ut absq; eo sponsalia liberorum, exceptis quibusdam casibus, non sint firma & rata.*

B

XXIII.

XXIII. Hoc Pontificii negant. Sic enim statuit *Concilium Trid.* in decret. de reform. matr. sess. 24. c. 1. *Sancta synodus anathemate damnat eos, qui falso affirmant, matrimonia à filiis familiis sine consensu parentis contracta, irrita, esse & parentes ea vel rata vel irrita facere posse. Toletus lib. 5. Instruct. sacerdot. c. 1. Potest filius uxorem ducere se dignam invitis parentibus. Bellarm.* Doctores adeò non dubitant, matrimonia sine consensu parentum contracta, esse rata ac firma, ut neque unquam inter impedimenta matrimonii numeraverint defectum consensùs paterni. E quibus satis apparet, eos parentum consensum ad legitima Sponsalia de necessitate requiri pleno ore negitare.

XXIV. Illorum verò argumenta, quibus hanc sententiam defendere conantur potissimum sunt sequentia: *Primum* est desumptum ex S. S. exemplis; *Esau*, inquit, duxit uxores duas, quæ ambæ offenderunt animum Isaaci & Rebeccæ parentum ejus, proinde invitis parentibus accepit *Gen. 26. v. 35.* Et rursus *c. 28. v. 9.* Et accepit tertiam contra eorum voluntatem & tamen ab Isaac ea conjugia fuerunt impedita. Deinde *Tobias* quoque duxit uxorem in alienâ regione parentibus ignorantibus, nec tamen angelus Raphael, qui cum ipso erat, eum admonuit, ut parentum consensum expectaret.

XXV. *Secundum* est desumptum ex jure Canonico. Ita enim *Clemens III.* de puella nubile loquitur: Quia liberum habet arbitrium in electione propositi, non cogitur parentum sequi voluntatem. Plura vide *θ. XXIII.*

XX. *Tertium* ex nostrorum assertione & testificatione. *Luth. & Melancthon*, inquit, *Bellarminus*, contendunt matrimonium filiorum invitis parentibus contractum, si per copulam carnalem consummatum sit, non posse amplius à parentibus irritari. At copula illa carnalis non facit filium prudentiorem, neque eximir à patria potestate. E. etiam ante copulam matrimonium contractum à parentibus irritari non poterat, vel si tunc poterat, etiam post copulam poterit, quod ipsi negant. Hucusque *Bellarminus.*

XXVII. *Quartum à Consuetudine.* Hæ Constitutiones pontificiæ, dicunt, hæctenus in foro & judiciis observatæ, atque
com-

communi calculo Doctorum approbata, & sic longo usu ac consuetudine præscripta. Ea autem quæ longo usu & consuetudine comprobata sunt, & per multos annos observata, velut tacitâ civium conventionem non minus, quàm ea, quæ scripta sunt jura, servanda sunt. E. Et hæc sunt præcipua Pontificiorum argumenta, quibus, parentum consensum ad liberorum sponsalia requiri, negant. Reliqua propter chartæ angustiam omisimus. Plura qui cupit, legat *B. Gerhard. tom. 7. art. 1. de consensu contrahentium & paterni necessitate, p. m. 105.*

XXIIX. Nos contra *Affirmativam* tenentes eam sequentibus probatam damus argumentis: *Primum* argumentum est deductum à *primæ conjugii Institutione* & in formâ tale est: Si conjugium primorum parentum, est norma & forma, juxta quam conjugia reliqua sunt judicanda, sequitur conjugia & per consequens etiam sponsalia absque parentum consensu contracta, esse irrita. At verum est antecedens. *Matth. 19. E. & consequens.* Consequentia probatur. Adam enim non suo arbitrio sibi sponsam elegit, nec Eva suo arbitrio sibi sponsam quaesivit, sed Dei voluntas intercessit, qui parentis locum obtinuit. *Luc. 3. v. 38.*

XXX. *Deinde* hoc requirit obedientia quarti præcepti: Honora patrem tuum & matrem tuam *Exod. 20.* quod repetitur *Col. 3. v. 20.* Ubi notanter additur, quod liberi teneantur parentibus in *OMNIBUS* rebus obsequium præstare. Unde sequens oritur argumentum: Si liberi tenentur parentibus in omnibus rebus, legi divinæ scilicet non repugnantibus, præstare obedientiam, sequitur quod etiam in causis matrimonialibus obstricti sint, parentum consensum expectare. Sed prius est E. & posterius. Consequentia probatur, quia matrimonium refertur ad *totum omnia.*

XXXI. *Tertiò* parentes de elocandis liberis à Deo speciale habent mandatum. Si ergo parentes à Deo speciale mandatum de elocandis liberis habent, sequitur, quod liberi insciis & invitis parentibus non possint contrahere sponsalia vel matrimonia. Antecedens est verum E. & consequens. *Consequentia* est clara. *Antecedens* probatur ex clarissimis sacræ scripturæ testi-

testimoniis. Nam: *Exod. 34. v. 16.* hæc leguntur verba. *NON ACCIPIES uxorem filiis tuis de filiabus earum. Deut. 7. v. 3. Filiam tuam non DABIS filio ejus, nec filiam ejus ACCIPIES filio tuo. Jer. 29. v. 6. DATE filiis vestris uxores, & filias vestras DATE viris. Et 1. Cor. 7. v. 38. Qui matrimonio JUNGIT virginem suam, bene facit, qui non JUNGIT minus facit.*

XXXII, *Quartum* argumentum quo nostram assertionem reddimus probatam, est desumptum; ab exemplorum probatorum, imitationis necessitatem introducentium collatione: Huic enim divino mandata conformia sunt exempla parentum, qui suos liberos elocarunt, & piorum liberorum, qui parentum consensum semper requisiverunt. *Agar* accepit filio suo uxorem *Gen. 21. v. 21.* *Abraham* ablegat *Iervum* suum ad conciliandas filio suo nuptias. *Gen. 24. v. 3.* *Caleb* filiam suam se ei daturum pollicetur, qui civitatem *Ciriathsepher* cepit *Jud. 1. v. 12.* *Simson* ad parentes dicit: *Vidi uxorem in Thamnata, quam quaeso, ut mihi accipiatis uxorem. Jud. 14. v. 3.* Quamvis aliàs non exemplis sed legibus sit judicandum; attamen ex allatis exemplis hanc conclusionem deducimus: Quæcunq; exempla mandato divino non repugnant, sed eidem sunt conformia, ex iis est judicandum; & illa necessariam imitationem introducunt. Atque exempla allata parentum consensum in matrimonio ineundo requirentia mandato divino non repugnant, sed &c. E.

XXXIII. Neque id solum exigunt sacrae paginae, sed etiam jus Civile, cujus Canones, de consensu parentum agentes ad stabiliendam & confirmandam nostram sententiam quinto loco in medium adducemus. Quod enim non tantum consensus contrahentium, sed etiam parentum requiratur, naturalis & civilis ratio suadet, inquit Imperator *Inst. de nupt.* Et alio loco: Oportet, ut quicumque uxorem ducere voluerit, secundum nostras leges & antiquam consuetudinem, parentes vel alios quos decet, petat, & cum eorum voluntate legitimum fiat matrimonium. Quem parentum consensum ab initio Reipub. Romanae interponi solitum fuisse, vel ex *Numæ Pontificis* lege, quam *Dionysius Halic. lib. 2.* antiquitatum refert, peripicuum esse potest.

Ut: Si pater filio, inquit, concesserit uxorem ducere, sacrorum ac bonorum juxta leges participem, patri posthac nullum jus esto vendendi filium. Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiunt omnes, h. e. qui coeunt quorumq; in potestate sunt *l. Nupt. 2. ff. de rit. nupt.* Hinc *Beza*: Leges civiles de paterni consensus necessitate sunt notiores, quam ut ignorari, clariores, quam ut obscurari, sanctiores, quam ut aboleri possint. *de divort. p. 78.*

XXXIV. Regerunt Pontificii, jus civile juri Canonico esse subjectum, non multum g. referre, quid hac in re jus civile statuatur, cum leges civiles non dedignentur sacros canones imitari. Jam verò *Concilium Trid. & Canones pontific.* definiunt matrimonium, quod sit, licet absque parentum consensu sit contractum, firmum & ratum. E. Ad hoc R. (1) Negando jus civile juri Canonico ita esse subjectum, ut Papæ decreta pro regulis sint habenda, quas etiam Imperatores servare teneantur. (2) Jus civile h. l. consentit cum sacrâ scripturâ, E. juri Canonico, quod in hoc casu omnem erga parentes disciplinam & obedientiam tollit, & liberis liberam præbet peccandi materiam, hoc in casu longè est præferendum. Imò in hoc jus Canonicum nec debet nec potest apud bonos & pios ullam vim legis habere, cum lex debeat esse honesta & Verbo Dei conformis.

XXXV. *Sextò*, parentum consensum testantur etiam Ethnicorum dicta & exempla. Achilles apud *Homer. Iliad. 9.* non vult sine patris sui consensu ne regis quidem filiam in uxorem ducere. *Orpheus* poëta venustissimus cecinit, Jovis oculos conjectos in eos, qui parentum mandata & leges observant. Apud *Auleum* Venus contendit, legitimas non esse nuptias inter *Cypriam* & *Plychen*, quod illæ clam, sine testibus, nec parentibus consentientibus sint initæ. *Aristoteles* inquit: Oportet parentes tanquam Deos colere & vereri. Hinc *Ethnicus* ille juvenis apud *Poëtam* inquit: Non ducam illam, si vel *Venere* formosior, vel *Pallade* sapientior sit, nisi pater meus consentiat. *Pythagoras* contemtores parentum, scribit, æternis pœnis cruciari apud inferos à justitia. *Isocrates* ait: Talem te præsta erga parentes tuos, qualem erga te optas esse filium tuum. *Euripides*

dos inquit, superis charum esse eum in vitâ & morte, qui parentes colit atque observat. *Catullus*: Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est: Tertia pars matri data, pars data tertia patri, tertia sola tua est &c. Hæc & similia exempla similesque sententias contra pontificios diligenter notemus. Testimonia enim ipsius naturæ sunt, & cum promissionibus & pœnis divinis consentiunt, ac ipsorum gentilium doctrinam hinc saniores fuisse, quàm Pontificiorum ostendunt.

XXXVI. *Septimò*; Sancti Patres, consensum parentum ad legitima sponsalia esse necessarium, unò ore testantur. *Ambrosius* in Comment. 1. Cor. 7. scribit: Non est putandum matrimonium, quod extra Dei decretum est factum, sed cum cognoscitur est emendandum. *Tert.* lib. 2. ad uxor. Nec in terris filii sine consensu parentum nubunt ritè & jure *Chrysof.* Hom. 9. in 1. Tim. parentes, ut maturè liberis de conjugio prospiciant, ne in seortationem incidant, hortatur. *Aug.* Matris voluntatem in tradenda filia omnibus, ut arbitror, natura proponit. *Basil.* Epist. 1. ad Amph. Eorum, qui sunt in alterius potestate, pacta conventa firmi nihil habent. Hæc sanctorum patrum dicta pro confirmanda nostra sententia adducere placuit, reliqua, quæ peculiarem librum requirerent, jam sicco, ut ajunt, pede transeo.

XXXVII. Et quid multis? Ipsi adversarii nostræ assertioni nolentes volentes suffragium præbere coguntur. *Cassian.* part. ult. catal. glor. mund. c. 35. scribit, quod mundus & cœlum & tota literatorum machina contra nuptias contra parentum consensum initas clament. *Erasmus*: definiunt quidam matrimonium esse ratum, quod insciis aut etiam invitis parentibus inter puerum & puellam contractum est. Antiqui istud dogma non approbant, nec naturæ sensus, nec veterum LL. nec Moses ipse, nec Evangelica, nec Apostolica doctrina. *Ludovic. Vives* in lib. de offic. mariti: Vetera omnia conjugia gentilium ac Judæorum ita coierunt: Parentes suâ autoritate utrinque rem transigebant, liberis nefas erat, ab eo discedere, quodcumque visum est parentibus, de ipsis statuere. Ipse *Bellarminus* fatetur præceptum de matrimonio liberorum, parentibus potius dari, quam filiis, & ex eo infert, ut plurimum peccare filios, si absque paren-

parentum voluntate sponsalia & nuptias contrahant, & illorum voluntatem hac in re non sequantur. Si itaque præceptum de liberorum matrimonio parentibus potius datum, quam liberis, quomodo liberi absque eorum voluntate & consensu contrahere poterunt? Peccant enim contra divinam conjugii institutionem & leges matrimoniales. Quicquid verò institutionis divinæ legibus non est conforme, sed iisdem repugnat, illud non est ratum & firmum. Atqui sponsalia liberorum absque parentum voluntate & consensu contracta institutionis divinæ legibus non sunt conformia, sed iisdem repugnant. E. non erunt firma & rata.

XXXVIII. Probatâ nostrâ sententiâ proximum est, ut ad adversariorum argumenta pedem moveamus & ad ea respondeamus. Ad (I.) quod attinet, Resp. (1.) Non exemplis sed legibus esse judicandum. (2.) Si exemplis judicandum, talia exempla sunt proponenda, quæ legibus divinis & humanis non repugnant. Jam verò superius ostensum est tum ex lege divinâ, tum ex lege naturæ, parentum consensum ad legitima sponsalia necessariò requiri. E. exempla ab his legibus discrepantia non sunt proponenda. Ad exemplum enim *Esavi*, qui contra voluntatem & consensum parentum tres duxit uxores, Resp. sacram Scripturam hoc non approbare: Expressè enim de uxoribus ejus *Gen. 26. v. 35.* legitur, quod fuerint amaritudo *Isaaco & Rebecca*; illum verò sacræ literæ vocant profanum, *Hebr. 12. v. 16.* Ecquid E. boni & laudabilis in hujus profani & tum inobedientis filii exemplo est quarendum? Quod autem *Bellarminus* regerit, *Isaacum matrimonia non irritasse*: Ad hoc quidam respondent, esse tribuendum *Esavi* inobedienciæ & pertinaciæ, qui ab illicito illo consortio abstrahi non potuerit: Interim à remotione facti ad remotionem juris nullam valere consequentiam. Alii dicunt, esse hoc tribuendum paternæ indulgentiæ, quæ in liberis multa tolerat. De *Tobia* respondemus (1.) Eum non privato ausu, sed suasu angelico duxisse *Raguelis* filiam, *Tob. 6. v. 17.* Deinde negamus, *Tobiam* absque parentum consensu sponsalia & nuptias iniisse. Ne enim quis de consensu senioris *Tobiæ* dubitet, considerentur verba Angeli *Tob. 6.*

v. 17.

v. 17. Nonne es memor sermonum, quos præcepit tibi pater tuus super accipienda tibi uxore de genere tuo. Verba autem senioris Tobie c. 4. v. 13. juxta textum græcum hæc sunt: *Uxorem accipe de semine patrum tuorum, Et non accipias uxorem extraneam, que non est de tribu patris tui, quoniam filii prophetarum sumus Noab, Abraham, Isaac & Jacob &c. Omnes isti acceperunt uxores de fratribus suis.* Ex his videre licet, Tobiam, quamvis non individualem; attamen specialem habuisse parentum consensum.

XXXIX. Ad (II.) Resp. Nobis sat testimonii esse legem Divinam, Naturalem & Civilem, licet jus Canonicum passim contrarium impiè statuat. Hinc *Beust. tract. de sponsalibus* p. m. 178. eleganter scripsit: *Licet jus Canonicum requirat tantum consensum eorum, qui contrahunt & non parentum: quod & Synodus Tridentina sess. 24. decret. 81. impiè contra quartum præceptum Dei, jus Civile & Naturale confirmavit, tamen hodiè in his terris, quod ad consensum parentum attinet, servatur jus Civile & non Canonicum, quod tollit disciplinam & obedientiam erga parentes, ac præbet liberis peccandi materiam. Unde nec potest nec debet apud bonos & pios ullam vim legum habere, cum lex debeat esse honesta.* Hactenus *Beustius*. Alii distinguunt inter Canones juris Canonici veteres & recentiores, sed quid de hac distinctione sit censendum vid. *B. Gerbard. Tom. 7. de Conj. p. 146.*

XL. Ad (III.) Resp. *Lutherum & Philippum Melanchthonem* ibi loqui de specialibus quibusdam casibus. An nimirum conveniens sit, jus paternum in iisdem strictè & severè exercere, an verò consulendum sit parentibus, ut ejusmodi sponsalia clam contracta, præsertim cum copula carnis accesserint, habeant rata? Et hoc affirmant. Quomodo autem à particulari ad universale valebit consequentia? Alia enim quaestio est, de generali regula sponsaliorum: Alia iterum quaestio est, quid in specialibus quibusdam casibus, imprimis re nondum integrâ parentibus sit consulendum & suadendum.

XLI. Ad (IV.) Resp. *Neg. Min.* Non enim est ignotum, qualis debeat esse consuetudo, ut vim legis habeat: Nam de-
bet

bet esse rationi consentanea, utilis & honesta, non pugnare cum jure Divino, Naturali & Civili. Hinc *Paporm.* Nulla lex nec consuetudo est alicujus momenti, quæ contraria est juri Naturali & Divino, vel præbet occasionem peccandi. Atque talis consuetudo est constitutio pontificia, quæ parentum consensum excludit: Tollit enim obedientiam liberorum erga parentes, quæ lege divinâ & civili gravissimè mandata est. E. nec potest nec debet ullam vim Legis habere. Nec obstat communis opinio Doctorum, qui in hac sententia semper concordantes fuerunt. Veritas enim opinioni perpetuò est præferenda, præcipuè si certo jure firmisque rationibus munita sit, ut est in hac nostrâ causâ. Nec habenda est multitudinis ratio, quæ aliam & quidem falsam opinionem sequitur: Nam errantium multitudo non parit errori patrocinium, cum peccata tantò sint graviora, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam. Maneat ergò hoc perpetuò & certissimè verum, quòd ad substantiam conjugii, legitimè à liberis contrahendi necessarius quoque sit consensus parentum, ut, sine quo nulla justa Deoque grata conjunctio esse potest, nullâ habitâ ratione autoritatis humanæ aut consuetudinis, quamlibet diuturnæ, vel multitudinis, quæ contrarium statuit.

XLII. De *consensu parentum* res clara est. Nec quæritur: An, sicut in sponsalibus filii & filia consensus parentum est necessarius, etiam consensus Tutoris & Curatoris in sponsalibus pupillæ & adultæ sit necessarius? In hac quæst. *Salycet.* in l. in copulandis C. de nuptiis, & cum illo *Beust.* in tract. de nupt. part. 1. de spons. p. 13. distinguit inter *tutorem* & *curatorem*. *Curatorem* constat esse eum, qui rebus datur. *Tutorem* verò quæ non tantum rebus, sed etiam personæ & moribus præsidet. Hæc distinctione præmissâ dicendum, adultam absque Curatoris consensu benè contrahere; pupillam verò absque *tutoris* consensu, quippe qui loco patris est, matrimonium inire nequam posse. Dicis: Si contingat, ut pupilla pubertati proxima absque consensu tutoris nubat, num quid tutor hoc possit impedire? R. Negando. Quia (1) non in omnibus est similis ratio inter parentem & tutorem. (2) Quia tunc non amplius

C est

est tutor, sed Curator: Nam tutela finitur ipso jure elapsis 14. annis in masculo & 12. in fœmella. Inst. Quib. mod. tutel. fin. in princ.

XLIII. Consensu parentum ac tutorum explicato proximum est, ut quærat, quid de promissionibus seu sponsalibus eorum, qui sui juris sunt h. e. qui mortuis parentibus, ex ephēbis excesserunt, & sub tutorum potestate non ampliùs sunt constituti, sit judicandum? Ad hoc ut respondeatur, notandum est, conjugium esse rem sacro sanctam; propterea debere legitime, honestè & sanctè tractari non tantùm ab iis, qui, adhuc sunt sub patriâ potestate, sed etiam ab omnibus aliis matrimonium contracturis; Hinc meritò rejiciuntur promissiones clam & absque testibus fide dignis factæ. Hujus sententiæ est etiam *B. Luth. Tom. 5. Jenens. Germ. fol. 339.* Ubi apertè fateatur clandestinas promissiones nihili esse faciendas, & hoc sequentibus probat argumentis. (1) Inquit, conjugium vitæ genus honestam publicè debere tractari. (2) Jura & Canones prohibere sponsalia clandestina. (3) Hoc velle leges antiquas Mosaicæ: Olim enim illas promissiones publicè in portis esse factas luculenter testantur historiæ sacræ, ut patet ex libro *Ruth. c. 4. v. 2.* (4) Multa secutura incommoda, si clandestina sponsalia concederentur: E quibus patet, hujusmodi sponsalia esse irrita & rejicienda. *Dicitis*: si autem accesserit copula carnalis, annon matrimonium erit ratum? *R.* Nec copula carnalis promissionem clam factam quicquam juvat, si altera pars promissionem neget, juxta hanc regulam: Actore non probante reus absolvitur, licet copulam carnalem maximè fateatur: Hic enim valet illa regula: Non concubitus; sed consensus facit nuptias. *Regeris*: Si verò altera pars juramento testetur, num illi fides est habenda? *R.* Cum clandestina sponsalia expressè sint prohibita, idcirco non opus est, ut altera pars juramento interposito promissionem esse factam vel non factam testetur: Nam propter levitatem hominum innumerabilia perjuria, ut loquitur *Menz. in tract. de causis matr. p. m. 529.* essent futura. Sufficit igitur clandestina sponsalia absolutè esse prohibita, ut nemo possit conquiri, factam sibi esse injuriam. Cur non adhibuit testis? Quot autem

autem testes requirantur, neque civili neque divinâ lege deter-
terminatur. Interea tamen ex eo: *In duorum vel trium ore
stat omne verum Deut. 17. v. 16.* rectè colligitur, duos vel tres;
attamen integros & omni exceptione majores sufficere, cum sit
res gravis & ardua. vide *Mausf. de nupt. p. 315.* Attendi tamen
in talibus casibus solent circumstantiæ; & multa permitti judi-
cum prudentiæ.

XLIV. *Quarto* denique Sponsalia dividuntur in *licita*
& *illicita*. *Licita* sunt, quæ non fiunt in gradibus propinqua-
tis prohibitis: *Illicita* dicuntur, quæ fiunt in gradibus propin-
quitate prohibitis.

XLV. Notandum autem est, *propinquitatem* potissimum
triplici modo sumi nimirum pro *legali, spirituali, & naturali*. *Le-
galis* est ex adoptione inter adoptantem & adoptivam. *Spiritu-
alis* iterum duplex est, vel *communis* vel *specialis*. *Communis* est
omnium piorum ex uno eodemque Dei verbo & initiationis
sacramento regentorum: *Specialis* est inter susceptos ex lava-
ero baptismi & susceptores. *Naturalis* seu *Carnalis* etiam est
duplex. Vel enim est ex *carnis Propagatione*, unde consanguini-
tatis: Vel ex *carnis copulatione*, unde *affinitas*. De singulis his
propinquitatis speciebus seorsim eâ quâ fieri poterit brevitate
agemus.

XLVI. A propinquitate igitur *legali* sumitur initium.
Consistit ea, ut diximus inter adoptantem & adoptivum &
communiter statuitur triplex. *Prima* est ascendentiæ & des-
cendentiæ adoptantis scil. & adoptati ac descendentiæ
ab ipso. *Secunda* est transversalium, quæ contrahitur inter
adoptatum & filios adoptantis legitimos & naturales. *Tertia*
est quædam legalis affinitas, quæ contrahitur inter uxorem ad-
optantis & adoptatû, & inter uxorem adoptati & adoptantem.

XLVII. De hac *legali* propinquitate nunc quaeritur; *an
inter matrimonii impedimenta numeretur?* Pontificii ut & jus
civile affirmativam tenent. Hinc *Bellarmin. de matr. c. 30.* *Co-
gnatio legalis* inquit *merito inter impedimenta matrimonii ab Ec-
clesia refertur*. Et jus Canon. de prima legalis propinquitate
sic ait: inter eos, qui adoptione filii sunt, venerandæ LL. Ro-

manæ matrimonimonia' contrahi non permittunt. c. ita dili-
gere. 30. quæst. 3. De secundâ: Si qua per adoptionem mihi so-
ror esse coepit, quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ
consistere non possunt. *l. per. adopt. 17. ff. de rit. nupt. c. per ad-
opt. 30. quæst. 3.* De tertiâ: Adoptivus filius, si emancipetur
eam, quæ patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest, quia no-
vercæ locum habet. Item: Si quis filium adoptaverit, uxorem
ejusdem, quæ nurus loco est, nequidem post emancipationem
filii ducere poterit, quoniam aliquando nurus ei fuit. *l. adopt.
14. ff. de rit. nupt.* Sed Negativa, quam amplectitur *B. Luth.*
& alii orthodoxi Theologi est præferenda (1) propter mandati
divini defectum: Nam inrer prohibitionis leges divinitus pro-
mulgatas nulla fit adoptionis mentio. E. conscientiæ nec pos-
sunt nec debent cognationis hujus impedimento turbari. (2)
propter exemplorum probatorum carentiam. Exempla adopti-
onis sacris in literis leguntur, sed quod ex illis cognatio quæ-
dam nuptias contrahendas impediens vel contractas dissolvens
orta fuerit, nusquam inventur. (3) propter divinæ prohibitio-
nis naturam. Lex divina ideò inter quasdam personas matrimo-
niū contrahi vetat, quia est inter eas carnis propinquitas. Atquæ
hic nulla est carnis propinquitas E. Unde *Luth. de Vita conjug.
Tom. 2. Jenens. germ. f. 153.* judicat esse inventum humanum,
quod propter adoptionem & cognationem legalem prohibean-
tur nuptiæ. Dicis: Si vero Magistratûs autoritate provincialis
quædam constitutio de hoc impedimento promulgaretur, non-
ne subditi memores apostolici dicti Rom. 13. tenerentur debi-
tum eidem obsequium præstare? R. Utrique. Huc enim perti-
net illud *Hemmingii de conjugio p. 125.* Adoptio, dicentis, jux-
ta LL. Cæsareas impedit nuptias: Nam per adoptionem paren-
tum & liberorum loco censentur, qui adoptant & adoptantur.
Huic legi oportet eos parere, qui sunt in Romano Imperio: A-
lii istâ lege non obligantur: Nam neque fundamentum habet
in jure divino aut naturali, sed solummodò habita est ratio po-
litici boni, non ita latè se extendentis. Huc usque *Hemmingius.*
Notandum tamen est ex *B. Gerhardo*, illud impedimentum
non esse extendendū ad matrimonii jam contracti & consum-
matū

mati dissolutionem, cum vinculum divinum non debeat solvi
auctoritate humana. *Matth. 19. v. 6.*

XLVIII. A cognatione legali transitum facimus ad *spiritualem* seu *Ecclesiasticam*. Hæc duplex est: *Communis* scilicet & *specialis*. *Priorem* cognationis hujus speciem matrimonium non impedire, extra controversiam est. *Ex posteriori* verò *Ecclesiasticæ* cognationis specie matrimonii impedimentum oriri, pontificii firmiter statuunt. Sed quid de hac controversiâ sit iudicandum vid. *B. Gerbardum*, cum quo facimus, qui hanc *controv. tom. 7. de conjug. pag. m. 540.* solidè pertractavit. Nostrum jam non est integrum de hæc materia tractatum conscribere, sed mentem nostram saltem thesibus explanare. Quæ igitur hîc moneri & in contrariam sententiam proferri possunt, doctorum examini & disquisitioni committere volumus.

XLIX. Descendimus jam ad tertiam propinquitatis speciem, quæ communiter *Naturalis* appellatur, & maximum contrahendi matrimonii est impedimentum. Consistit autem in *consanguinitate* & *affinitate*. *Consanguinitas* est vinculum personarum ab eodem stipite descendendum carnali propagatione contractum. Notandum autem est stirpis seu stipitis appellationem, communi illi parenti metaphoricè attributam, potissimum tripliciter sumi: *Primo* communiter seu generaliter pro patre omnium hominum, qualis fuit Adam. (2.) *Specialiter* pro patre alicujus gentis, qualis fuit Esau, respectu Edomitærum. (3.) *Specialissimè* pro patre duorum aut plurium proximè cognatorum. In hæc postrema acceptione hîc accipitur.

L. *Affinitas* est vinculum certarum personarum novis nuptiis contractum, vel ut alii volunt: Est necessitudo acquisita, voluntate & consensu contrahentium ad voluntariam naturæ obligationem per conjugium obstringens singulariter, & consanguinitatem imitans. Hinc est quod consanguinitatis simulachrum appelletur. Affines igitur sunt, qui non sanguinis, sed solâ nuptiarum necessitudine, non per propagationem, sed per unionem duorum in carnem unam junguntur.

LI. Non autem unum tantum sed *triplex* affinitatis *genus* statui.

statuitur, quorum *primum* est, quod mediante unâ personâ contrahitur, v. g. quando duo fratres Johannes & Martinus ducunt duas uxores, Johannes Mariam, Martinus Catharinam, per hoc conjugium Catharina fit affinis Johannis, in primo affinitatis genere, mediante unâ persona sc. Martino. *Secundum* affinitatis *genus* est, quod mediantibus duabus personis contrahitur, v. g. mortuo Martino Catharina nubit alii, v. g. Petro, Petrus igitur fit affinis Johannis in secundo genere affinitatis, mediantibus duabus personis, Catharina sc. & Martino. *Tertium* affinitatis *genus* est, quod mediantibus tribus personis contrahitur. E. g. mortua Catharina Petrus ducit aliam uxorem, tunc *illa* fit affinis Johannis in tertio affinitatis genere, mediantibus tribus personis, Petro sc. Catharina & Martino. Ex his tribus affinitatis generibus, primum tantum est affinitas *proprie* dicta matrimonium impediens. Duo posteriora affinitatem nec conciliant, nec nuptias impediunt.

LII. Et tantum de propinquitatis speciebus dictum esto. Eis relictis ad ipsam prohibitorum consanguinitatis graduum doctrinam progredimur.

LIII. Sed quædam prius præmittenda videntur: (1.) *Gradus* definitio, qui in scholis Theologorum & Jurisconsultorum communiter sic definitur: *Gradus est intervallum, quo cognoscitur personarum, de quarum cognitione queritur, inter se propinquitatis & distantia.* (2.) *Linearum* descriptio & divisio: Quoniam enim cognationis est certus ordo, cum & consanguinei & affines sint vel majores, vel minores, vel collaterales; inde certæ lineæ ad meliorem gradum intelligentiam statuuntur. *Linea* dicitur collectio personarum ab eodem stipite descendantium, gradus continens & numeros distinguens. Est verò duplex vel *Perpendicularis* sive *Recta*, vel *Collateralis*. *Perpendicularis* est, quæ rectâ progreditur sive *sursum*, & tunc vocatur *Ascendentium*; sive *deorsum*, & tunc dicitur *Descendentium*: *Linea* enim *Ascendentium* est, quando numeramus à filio ad patrem, à patre ad avum, ab avo ad proavum, à proavo ad abavum, ab abavo ad atavum, ab atavo ad tritavum, à tritavo ad quatritavum, & ultra, posteriores enim speciale nomen non habent; sed *Majores* vocan-

vocantur; *Linea verò Descendentium* est, quando numeramus à patre ad filium, à filio ad nepotem, à nepote ad pronepotem, à pronepote ad abnepotem, ab abnepote ad atnepotem, ab atnepote ad trinepotem, & ultra. Liberi enim, teste *D. Klingio*, ultra hos speciale nomen non habent; sed *Minores* seu *Posteriores* dicuntur. *Linea Collateralium* est, quæ ad duo latera, dextrum sc. & sinistrum se diffundit, seu quando numeramus fratres, sorores & ulteriores in gradu: Quando enim ex uno stipite duo vel plures oriuntur filii vel filia, & ex illis rursus in suas distinctas lineas propagantur posteriores, tunc illi inter se mutuò collati, *Collaterales* appellantur, ut monet *B. Gerb. tom 7. de conjug. p. m. 367.* Dividitur illa linea *Collateralium* rursus in *æqualem* & *inæqualem*. *Æqualis* est, quando gradus æquè distant à communi stipite, vel: cum latera utrinque sunt æqualia, ut, frater, soror. Item: patruelis. Item consobrini, ut & sobrini & sobrinorum liberi. *Inæqualis* est, quando una persona alias gradu præcedit; seu cum personæ inæqualiter à communi stipite distant. Sunt ergò in linea inæquali frater & fratris filius. Item: Consobrini & sobrini &c. quia inæqualiter à stipite communi distant: Frater enim præcedit gradu fratris filium, & consobrini gradu præcedunt sobrinos.

LIV. His itaque præmissis, dicendum est (i.) quòd matrimonia inter ascendentes & descendentes simpliciter sint interdicta, adeò, ut etiam Adam, si adhuc in vivis esset, Evâ mortuâ, non posset ducere uxorem, cum omnes ab ipso in linea rectâ descendant: Si enim patri non licet ducere filiam *Lev. 18. v. 10.* multò minùs licebit nepti avo nubere, cum major reverentia ipsius naturæ instinctu debeatur & exhibeatur remotioribus parentibus, quàm proximis. Dicis: *Levit 18. v. 7.* tantum patris & matris sit mentio; proavi verò & abavi &c. non annumerantur gradibus prohibitis. E. iisdem nubere licebit. Resp. Per appellationem patris etiam avum, proavum & omnes majores; per appellationem verò filii etiam nepotes, pronepotes, & omnes minores intelligi: Quod vel ex eo clarum est, quòd postmodum etiam expressa & specialis prohibitio hâc de re extat, quòd nimirum non liceat neptem ex filio vel filia ducere. Unde
etiam

etiam apud omnes gentes observatum fuit, ut filius matri, filia patri non jungeretur. Jus enim naturale dicitur, majorem reverentiam deberi parenti, quam conjugii.

LXV. *Secundò* dicendum, quòd in lineâ collateralium, juxta Constitutionem Ecclesiasticam Electoris Augusti usque ad tertium gradum lineæ inæqualis inclusivè omnia matrimonia sint prohibita. Sic ergò reliqua remotiora, sive æquali sive inæquali linea accesserint, erunt permissa, quod tamen non simpliciter, sed cum hac limitatione est accipiendum, si ab una parte est secundus aut tertius; ab altera verò quartus, gradus; si verò ab unâ parte est primus ab altera quartus conjungi non possunt, ratio est, quia primus gradus hoc in casu est loco parentis. Consequentia probatur. Licet enim in L. mosaica nuptiæ in secundo gradu essent permixtæ inter liberos duorum fratrum vel sororum, tamen matertera & nepos ex sorore conjungi non poterant Lev. 18. v. 12. Ratio est quia matertera parentis vices peragebat.

LXVI. Expositis gradibus in consanguinitate prohibitis, properandum est ad explicationem graduum in affinitate prohibitorum. Et licet in *Affinitate* propriè & accuratè loquendo non sint gradus, sed computentur personæ à consanguinitate contrahentium, tamen ita vocantur propter similitudinem, quæ est inter *Affinitatem* & *Consanguinitatem*. Dicendum autem (1) quòd, sicut *Consanguinitas*; ita etiam *Affinitas* matrimonia usque ad tertium gradum lineæ inæqualis impediatur ac dissolvatur. v. gr. Si Maria nuberet viro, qui moreretur, quæritur an Maria defuncti consanguineo iterum nubere posset? Et R. quòd non possit usque ad tertium gradum lineæ inæqualis inclusivè. Ratio est quia matrimonium est perpetuum impedimentum, quod etiam mortuâ personâ durat mediante quâ contrahitur. (2) Dicendum Consanguineos mariti in eo gradu fieri affines uxoris, in quo gradu sunt consanguinei mariti, & vicissim consanguineos uxoris in eo gradu fieri affines mariti in quo gradu sunt consanguinei uxoris propter hoc fundamentum, quia conjuges non amplius sunt duo sed caro una, Gen. 2. (3) Denique monen-

monendum, Affinitatem solum contrahi inter sponsam & con-
sanguineos sponsi & vice versâ; inter consanguineos verò spon-
sæ & sponsi, nullam esse affinitatem sponsalia impediendam.
Hinc est quòd pater & filius possint ducere matrem & filiam,
duo fratres duas sorores, privignus filiam novercæ &c. Atq;
hîc subsistimus. Deo autem sit laus & perennis gloria in sem-
piterna secula.

Ad Humanissimum ac Prestantissimum

DN. RESPONDENTEM,

Amicum suum dilectum.

Dogmata Doctorum dum de SPONSALIBUS
offers;

Et monstras, quæ sint recta; sequenda
bonis:

Rem facis & vero dignam, studiisque decoram;
Quæ fructûs ferat, & commoda multa, precor!

*Benevolentia testanda causâ
faciebas*

PRÆSES.

Quando sub incudem revocas Sponsalia firmo
CHEMNICI clypeò fretus, Amice, precor:

Fausta tibi faustò Sponsalia sidere fiant:

Quando ? tibi spartam quando Jehova dabit.

l. m. raptim fingebas

M. ADRIANUS BEIER,

Eccl. Jenens. Diaconus.

D

Di.

Differis egregiè, quid sint Sponsalia. Perge,
Dulcis Amice! brevi tempore Sponsus eris.

Humanissimo Disputationis
Auctori, Amico suo plurimum
honor. scrib.

M. JOH. TOBERMANNUS.

Pereximio atq; Præstantissimo

DN. AUTORI ET RESPONDENTI

JOHANNI MARTINO de WETTE,

hæc paucula ipsius congratulantur

COMMENSALES:

Multi se spondent peltis pharetrisq; Gradivî:

Multi se spondent Pionæq; Deoq; Tridentis:

Multi se spondent Sylvisq; ferisq; Dianæ:

Multi se spondent Vulcano & ferra recudunt:

Multi se spondent Nato Veneris, Veneriq;:

Multi se spondent Satyris, sulcantq; novale:

Multi se spondent Hymenæo & gaudia tractant:

Multi se spondent Baccho Cereriq; ministrant.

Pauci se spondent Musis & fontibus almis,

Atq; laboriferi sperant in honoris aristas.

Hos inter paucos etiam, Doctissime WETTI,

Cerneris, Eusebiæ qui Te Sacrisq; Jehovæ

Et Phœbo despondisti, Phœbique catervis.

Egregium testem Tua se sponsalia sistunt,

Quæ Cathedræ sistis, dum rostra Academica calcas.

Tramite perge piô. Sic, sic sponsalia spondent

Serta brevi; quæ nos & pectore & ore precamur.

Sancta

*S*ancta doces, Vetti, docto dum differis ore,
Sublimi in Cathedra de Ratione TORI.
Non mirum! in caeptis meliori Numine ductus,
Si Caelos acie mentis adire vales!
Perge! Deo studeas Casta virtute placere!
Sic tibi post cineres sponte resurget Honos!

Hac
Pereximio atque literatissimo
Domino Respondenti
Benivolentiae testanda
gratia.

adjecit

MARTINUS Hochgesang/
Apolda Thuring.

Die Weißheit lässt hier den Zucker fließen/
Der deine Jugend einverzuckert hat/
Der Ruhm blüht allbereit Dier auf dem
Blat!

Sahr fort! So wird die Welt noch was genießen!

Solches wenige schrieb in eyle
Seinem vertrauten Freunde
JOHANNI MARTINO
de Weite

ABEL GEBLER, Cosvvedâ
Thuring.

Haud

HAud homines celebrare solent sponsalia festa,
Ni praesto nympha nympha decora fiet.
Non haec praesto Tibi, sed stant a pectore nomen
Pro nympha serum perpetuumque decus.

*Hac benevolentiam & amorem
suum scribebat*

S. LEO.

Dum qui virgo pia sit jungenda marito
Eximio studio, Frater amande, doces:
Ex imus cordis penetralibus opto precorq;
Sit pia pro tali Sponsa labore Tibi.

*congratulationis ergo fratri suo
dilectissimo faciebat*

JOHANNES GEORGIUS
de WETTE.

FINIS.



ULB Halle
005 132 622


3



VD. 17







TRINITATIS! 1664, 14
THEOLOGICA 26.

SALI.
S.

15

IDE
O
DO, AMPLISSIMO
LENTISSIMO
INO
CHEMNITIO,
T PROFESSORE
ORE ECCLESIAE
UM SUPERINTEN-
ITISSIMO
ore suo aternum suspiciendo.
torum disquisitioni

MARTINUS
uâ Thuringus,
PONDENS.
THEOLOGICO,
Decembris
o Ioc LXIV.

Æ,
S WERTHERI.

